



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 26. Alphonsus Vicecomes Cardinalis fatis functus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

xat cum Molina, cujus unius Viri causam a tota Societate propugnari haud suspicaretur: fervente tamen postea communi incendio semper solemnibus disputationibus coram Clemente VIII. & Paulo V. adstitit, solutis vero congressibus in Hispanias reversus Philippo III. Regi Catholico a confessionibus, a Sacris, & ab intimis consiliis fuit usque ad annum Domini millesimum sexcentesium septimum, quo ad preces ejusdem Regis Purpuratorum Collegio a Paulo V. adscriptus, dum iter Romam adornaret, duodecima Septembris Vallisoleti ætatis suæ anno sexagesimo secundo inopinato morbo e vita decessit, non sine maximo suorum luctu. Corpus ejus Cæsaraugustam translatum ibidem nobili sarcophago conditum quiescit.

Sæc. XVII.
 A. C. 1608.

§. XXVI.

*Alphonsus Vicecomes Cardinalis fati-
fundus.*

Postremus denique inter Purpuratos hoc anno defunctos erat Alphonsus Visconti seu Vicecomes natione Italus, patria Mediolanensis, qui anno Incarnationis Dominicæ quinquagesimo secundo supra millesimum quingentesimum primam lucem aspexit, atque in primo ætatis suæ flore in Papiensi Gym-

*Ciaccon. in
 vita Clem.
 VIII. Ug-
 hell. in ad-
 dit. ad Cia-
 con.*

Sæc. XVII. natio jurisprudentiæ civilis laurea do-
 A.C. 1608. natus Mediolani Jureconsultum ali-
 quamdiu egit: cum autem forensia pa-
 triæ negotia, mentis suæ celsitudini
 minime responderent, Romam profectus
 Sacræ militiæ nomen dedit, atque
 Gregorio XIII. utriusque, ut vocat
 Signaturæ Referendarius, & ab Alberto
 Austriaco Lusitano Pro Rege Legatus
 nominabatur, postea a Sixto V. Camere
 Auditor, & a Gregorio XIV. ad Rudol-
 phum Cæsarem & ad Hispaniæ Regem
 Nuntius, necnon Cerviæ Episcopus sa-
 lutatus est. Electo autem in Pontifi-
 cem Clemente VIII. Nuntius ad Tran-
 sylvaniæ Principem decretus, de gravi-
 sime negotiis ad orthodoxam fidem per-
 tinentibus nomine ejusdem Pontificis
 cum Poloniæ Rege egerat: Anno de-
 mum Domini millesimo quingentesimo
 nonagesimo nono die decima septima
 Mensis Martii Cardinalis primum tituli
 Sancti Joannis ante Portam Latinam,
 & postea Sancti Sixti renunciatus, &
 dimissa Cerviensi Ecclesia Spoletanus
 Antistes creatus varia Ecclesiastici Re-
 giminis munia obivit, tandem vero
 non tam senio, quam meritis gravis
 Maceratæ diem extremum obiit die
 decima nona Septembris, in æde Lau-
 retana sepultus.